



## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 2. Monstri acceptio, & exempla.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

ad sapientissimi Gubernatoris Mundi  
equissimā prouidentiam, cum maxima ad-  
miratione contemplandam. Quò digitum

**Psal. 45.9.** intendit regius Psalles, cùm ait: *Venite, &  
videte opera Domini, quæ posuit prodigia super*

**I. Paral.  
36. 8.**

**Pl. 104.1.** *terram. Et alio loco: Confitemini Domino,  
& innuocate nomen eius: notas facite in populis  
adiuuentiones eius. Cantate ei, & Psallite ei:  
& narrate omnia mirabilia eius. Non erit  
hæc Agathonia cantio, quæ sola argumen-  
ti suauitate permulceat; sed utiliter iucun-  
dam disputationem propinabit.*

### §. II.

#### *Monstri acceptio, & exempla.*

*Monstrum* autem Grammaticis, quòd  
aliquid significando monstrat, dictum,  
etsi aliqui inter animantia, siue homines,  
siue bruta, Portentum verò in rebus inani-  
matis duntaxat aiunt reperiri; parum  
tamen refert, de vtris id nomen usurpes.  
Potest enim æquè aliquid in cælo, elemen-  
tis, lapidibus aut metallis monstrari, ac  
in hominibus aut brutis portendi. Est igitur  
*Monstrum* vniuersim aliquid præter na-  
turam editum, aut procreatum: vel, vt in  
scholis loquuntur, est effectus naturæ, qui de-  
uiat a recta consuetâ secundum speciem, di-  
spositione.

*ſpoſitione.* Itaque quò magis deuiat, magis  
eft monſtrum; & prodigiū mensura, eft  
erroris magnitudo. Sic

*Scilicet horreſes, maioraq; monſtra pu-  
tares,* Iuuenal.  
Satyr. 2.

*Si mulier vitulum, vel ſi bos ederet agnū.*

Sic monſtrum diſtum eft, quando Meles  
Sardium rex ſuſtulit ex pellice leonem,  
homo illius parens, qui filius eſſe non po-  
tuit. Quamuis enim neque vitulus alio-  
qui, neque agnus, neque leo eft monſtrum,  
ſi primum vacca, alterum ouis, tertium  
leæna pariat; partus tamen iſti, quando à  
progenitoribus suis in totum diſcrepanț,  
in totum ſunt monſtra, quia in totum de-  
uiant à recta conſuetaq;, ſecundum ſpeciem,  
diſpoſitione. Ne autem, in naturæ historia,  
Poëtica duntaxat authoritate, aut exem-  
pli conficto niti videamur, teſtantur fide  
digni scriptores, aliiquid ſimile eueniffe.

Nam ex muliere vitulum natum affirmat Isid. I. II.  
Isidorus. Idem affirmant alij factum apud Origin.  
Iudæos. Fertur enim, paulo ante Hieroſo- Niceph.  
lymitanæ ciuitatis euersionem, *bos agnum*, lib. 3. c. 4.  
pro maximo vtique monſtro habitum, pe- hilt. Eccl.  
periffe. Quanquam autem res ita ſe ha- & Ioseph.  
beat, vulgo tamen magis monſtra eſſe pu- lib. 7. de  
bell. Iude. cap. 12.

B 2 tantur

Aristot.  
lib. 4 de  
generat.  
animal.  
cap. 3. A.  
Gellius  
noct. At-  
tic. lib. 9.  
e. 4. Vide  
& Plin.  
lib. 5. c. 8.  
17. cap. 2.  
Isidor.  
lib. 11. c. 3.

tantur, quæ non in totum, sed in partibus  
solùm diuersarum naturarum mixturâ à  
specie dearrant, vt puer capite arietino, vi-  
tulus humano, ouis bubulo, equus asinino,  
nati, teste Aristotele; & Arimaspi, qui,  
ritu Cyclopis Homerici, vnum oculum in  
fronte gerunt; itemque qui sine ceruici-  
bus oculos habent in humeris, vt recenset  
Gellius; & qui caninis capitibus, pro hu-  
mana voce, latratum edunt: aut qui ma-  
gis sunt variegati, vt cùm regnante, apud  
Gallos, Ludouico duodecimo, & sedente  
in pontificatu Iulio secundo, monstrum  
natum est, Rauennæ, habens cornu in ca-  
pite, vtrinque alas, brachia nulla, pedem  
vnum, oculum in genu, vtrumque sexum,  
in medio pectore ypsilon, & crucis effigiē.  
Nimirum hæc talia oculo insueta, & in-  
vno corpore diuersarum alioquin anima-  
rum organa, enormiora videntur, cùm ta-  
men reipsa illa, quæ tota degenerant ab  
vno, vel vtroque genitore, plus errent, si  
cùm specie illorum, & origine sua compa-  
rentur. Similior quippe est homini partus,  
qui aliquid habet hominis, quām qui ni-  
hil. Atq; hæc quidem, quid sint *Monstra*,  
docent. Videndum nunc est etiam, an ta-  
lia,

lia, & quām varia, itemque quibus in rebus occurrant? Illis enim negatis, nequicquam diuinæ potestatis, bonitatis, & æquitatis in ijs judicia indagaremus: at enucleatè perspectis, exclamare nobis libebit:

*Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis faciens mirabilia?*

§. III.

*An Monstra in omnibus rebus, ac etiam in artibus dentur.*

Reperiuntur itaque eiusmodi inconsueti naturæ effectus, in omni propemodum rerum genere, in elementis, in lapidibus, in metallis, in plantis, in bestijs, in hominibus, apud quos non natura tantum errat, sed sæpius etiam mores, qui à ratione deuij haud immerito & ipsi monstroſi appellantur: sicut & aliæ quædam res insolitæ & inconsuetæ. Artes autem, etiam quando monstra producunt, si scitè producunt, non errant, sed id producunt, quod volunt. Quare picti, aut sculpti Satyriſci, Tragelaphi, Hippocentauri, non tam monstra, quām imagines monstrorum sunt appellandi. Quòd si quis, præter mentem suam, aut contra voluntatem,

B 3

diabo-